

Horridula, atque incompta; ut quæ mihi scilicet uni
 Scripsi ego privata semper habenda domo,
 Aut etiam cœtu in vatum recitanda, sed acri
 Lectoris numquam subjicienda oculo.
 Triste etenim scriptori oculus, ni cuncta probavit,
 Expenditque sedens, atque suum decies
 Compsit opus, tersit, ductum exploravit ad unguem,
 Tantillum ne quid verbave, resve labent,
 Ne quid non mentes capiat, teneatque legentum,
 Seque imis blande sensibus insinuet.
 Quæ fugere oculos, possunt audita placere,
 Quamvis multa suos nondum habeant numeros,
 Et subito mentis confusa calore ferantur
 Confertim: interdum ludimus ut vacui,
 Perque jocum versus incomptos, & male factos
 Fundimus; aerii dicta ferunt Zephyri,
 Nubibus & longe miscent oblita; nec unguem
 Lentus ubi possit figere censor habet.
 Ergo Parrhasias testari desine lauros, (a)
 Quosque dedit plausus docta corona virum,
 Dum recito interdum mea carmina. Namque, placebant
 Quæ dudum incertas missa per auriculas,
 Nunc vereor ne pulchra parum, ne inulta putentur,
 Ut primum fidis subdita erunt oculis:
 Quique dabant plausum laudantes, cuncta cachinno
 Contemptim posthac, sibilo & excipiant;
 Meque vocent vatem nihili, corrumpere solum
 Qui malus interpres scripta aliena queam,
 Barbariem & fœdam Grajo admiscere lepori.
 Multæ etenim hic squallent, inque polita jacent,

(a) Est locus in Janiculo, quo poeta Arcades convenire, ibique
sua Carmina recitare solens, quem locum lauris consuum
nemus Parrhasium vocans.